

Summum bonum non est venit genus nec pars, et non est dicitur nisi
summum in bono est finis ethici. Finis & non ingreditur ipsius
rei essentiam.

D. O. M. A.

10

DISPUTATIO ETHICA

De

SUMMO BONO.

Diss. de Summo Bono. Author: D. Petrus H. St. Bonum bonum alicui
non est finis ethici. Quam ad hanc vocab. Morale sicut in ps.
22. Malum in Morale. Quam

Divinâ sic disponente gratiâ, consentiente
vero & iubente

Amplissimâ Facultate philosophicâ in Regia Academia

Summum bonum confidit in vita apoenitis
ad certi in uno Subpresidis hunc, Nam si Hilli
hunc habet sicut bonum & non datur
Viri praeclarissimi

M. AXELII Kempes/ Politices & Historiarum Professoris celeberrimi p. t. Rectoris
Magnifici, præceptoris, Mæcenatis & Benefactoris officiose colendi,

Pro Gradu Magisterij consequendo placidae eruditorum censura ventilandam modestè offert

JOHANNES JOHANNIS Palm/ S. R. M. Alumnus.

Ad diem 19 Maij 1665 horis 6 loco consuetis.

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

V I R O

Reverendissimo atq; Nobilissimo;

DN. M. S A M U E L I Gyllenadler / inclytæ
Dioceſeos Lincopenſis Episcopo Ampliſſimo, vene-
randi Consistorij Præſidi Gravifſimo: in Christo Pa-
tri, Mecœnati & patrono ſuo Magno, pià obſervantiā
atatem deveneſando.

Plurimū Reverendis & Clariss: VIRIS,

DN. M. BENEDICTO FIGRELIO, vene-
randi Consistorij Lincop. Seniori, atq; utriusq; ibidem
Ecclesæ, Cathedralis videlicet & annexæ S. Lauren-
tij, Pastorī Digniſſimo.

DN. M. ANDREÆ AIALINO, in Regio Gy-
mnasio Lincop. S. S. Theolog. Lectori Primario, præ-
poſito Cathedrali, & Pastorī in Landeryd meritiſſimo.

DN. M. GUSTAVO JANSONIO, S. S. Theo-
log. inibi Lectori accuratiſſimo, & Pastorī in Slaka
vigilantiſſimo.

DN. M. ERICO SIMONIO, in Gymnasio
Lincopenſi Eloquentiæ Lectori, atq; Pastorī in Scheda attentiſſimo.
Cæterisq; Venerandi Consist. ADSESS: Regijq; Gymna-
ſij LECTORIBUS Celeberrimiſis, Promotoribus ſuis
perpetuò deveneſandis.

B T E T

M. ÆSCHILLO FABRICIO, Scholæ wifingz-
burgensis RECTORI dexterrimo, Fautori & amico
ſuo singulariter honorando.

*Exercitium hoc Academicum in ſpem ſui promo-
vendi, & grati animi reuixi q;or ſubmiſſe, rever-
renter & officioſe exhibet*

A U T H O R E T R E S P O N D

Et hoc omnis p. vno successorum non est definitiendum. summum vnum
p. hoc omnis, operatus e p. l. vno successorum.

JEHOVAH JUVENT PROGREDI!

Cum omnis qua ratione de re aliquâ suscipitur institutio, & definitione prae-
fici debet, ut intelligatur id, de quo disputetur, prout recte elegan-
ter. Cic. l. i. off. monet, & propo. 18. Omittitur
situm sit mihi, Bono cum Deo, de his de scriptis
S U M M O B O N O, rudi mi-
nervâ, pauca differere; haud incommode facturum me arbi-
tror, si ab ipsâ Definitione Summi boni, sine ambagiis dis-
cursum meum exordiar. Sit itaq; in rompus altissimi

T H E S. I. *habitus operandi*
In pdc. Coalit in pdc. Actuari At geno le spirat per in mdc pdcam
Summum bonum est operatio anime rationalis, se-
cundum virtutem optimam & perfectissimam secundum virtutem
in vita perfectam & perfectissimam & nec summi bonum

II. Hæc definitio ipsius est Aristotelis, à Compluri-
bus autem Ethicis auctoribus allegata & compro-
bata, qui scil. Summum bonum in Virtutis actione
collocandum recte censem.

III. Ad definitionis autem realis analysin prius
quam me conferam, nonnihil in vocabulum Sum-
mi boni in antecessum, paucis tamen, inquirere lubet;
cum primis propterea, quod ubi vocis alicujus usum
probè quis noverit, facilius in rerum cognitionem,
testa Scal. provehitur.

IV. Notationem vocis Boni quod concernit,
dicitur illud nonnullis q. duonum, à duobus: eò
quod bonum non nisi alteri bonum dicatur, Burgersd.
Quanquam vera hæc non sit notatio sed allusiva
Causa dicitur effectus non potius de causa secundum potius
effectus secundum virtutem summi boni differunt ut caa
et effectus

potius & apparens. Cùm omnium vocabulorum originem inquirere, & rationem reddere, cur ejusmodi nomen, & non aliud, huic vel illi rei sit impositum, nimis sit curiosum & prorsus impossibile. Non enim omnia vocabula sunt derivativa, sed quædam etiam primitiva.

V. *Bonum* est (α) *Aliud Transcendens*, & supponit pro affectione entis unitâ, quâ bonum est illud, quod congruit cum voluntate Divinâ. (β) *Aliud Naturale*, indigetatq; congruentiam rei ad ejus naturam determinatam. (γ) *Aliud Spirituale*, absolutè & simpliciter bonum, quod non est hujus, sed cœlestis vitæ; nec hujus, sed altioris indaginis & considerationis Theologicæ: quia non lumine naturæ, sed gratiæ indagari potest; proinde ex sacris literis, non philosophorum scriptis ejus doctrina est haupienda. (δ) *Aliud Morale*, alias *philosophicum*, *civile*, & certo genere *Summum*, quod superiùs est definitum, & propriè hoc spectat, reliquæ distinctiones non item.

VI. *Distinctio*, quâ *Bonum aliud verè, aliud apparet*. *renter* est tale, ex suprà positis facile innoteſcit: *Illud enim est ipsum bonum morale; Hoc prorsus non est bonum, sed ex pravâ opinione tale esse putatur, cùm tamen in se sit malum.*

VII. *Bona in triplici sunt differentiâ: Animi*, ut virtus ejusq; operationes: *Corporis*, ut sanitas, robur, pulchritudo, &c. *Fortunæ sive externa bona*, ut honor, divitiæ, bona fama, &c. *Summum autem bonum in bonis animi, non tam corporis aut fortunæ, Aristotelis aliorumq; rectè sentientium iudicio colloca-tur. Primum, quia hominum sunt propria, reliqua cum brutis & belluis communia. Deinde, quia perficiunt perfe-*

stissi-

etissimam hominis partem, nempe animum. Tandem, quia stabilia sunt, nec facilè ab homine iterum auferuntur: Corporis verò & Fortunæ, facillimo negotio. Nihilominus tamen inter bona sunt connumeranda, eximia cùm sint dona Dei: Dona autem Dei non possunt non esse bona. Quæ certè ratio majoris est momenti, quæ omnes, quæ à Stoicis eorumq; sectatoribus in contrarium afferri sverunt.

VIII. Summum bonum apud auctores variastam græcas, quæ latinas sortitur appellations. Græcis dicitur τὸ ἀγαθὸν, quasi ἀπὸ τῆς ἀγαθῆς θεοῦ, ut quidam volunt, q. e. valde currere; Alij quasi ἀγαθὸν ab ἀγεω, quod nos amore sui ducat: sicut καλὸν, ἀπὸ τῆς καλεῖν, quod nos ad se vocet. Derivatione autem utraq; est allusiva & apparens. Vocatur etiam μακαρίστης, τὸ τέλος, τὸ ἐστιχατον, ἐνθαυμοία, ἐντυχία, ἐνζωία, ἐνπραξία. Latinis, finis extremus, beatæ vita, beatitudo, felicitas. Magnitudinem nominis viri inter has voces hoc discriminis ponunt; quod Sum. bonum, beatitudo, &c. sint simpliciter & absolute Summum bonum, atq; in individuo positum; ita ut illud nec crescat, nec decrescat; ideoq; non gradus admittat, nec sinat ut ex beato miser fiat: felicitas autem, ut Boëthius definit, sit status bonorum omnium aggregatione perfectus; comprehendens scilicet corporis etiam & externa bona, quæ ad existentiam & splendorem Summi boni plurimum faciunt, ut per operationes sese exscrere queat: alioquin sæpe hæc voces promiscuè usurpantur.

IX. Definitio realis in Genus & Differentiam resolvitur: genus à philosopho operatio statuitur. Differentiæ loco restringitur hæc operatio ad certum subjectum & modum; ita nempe, ut intelligatur non

quæcunq; operatio, sed animæ rationalis; atq; eo ipso
ex consortio hujus operationis excludantur operati-
ones animæ (α) vegetantis, crescere, nutriti, & sibi
simile in specie producere. (β) sentientis, cognoscere,
appetere, & locum mutare, quæ, ut & animæ vege-
tatiæ operationes, physicæ considerationis sunt. Nō
quòd Summi boni nulla sit cognitio, nullus appeti-
tus; sic etenim ignoti nulla esset cupidus; sed quòd in
cognitione illà & appetitu sensuum, quem cum bru-
tis animalibus homo communem habet, nullatenus
consistat Summum bonum. At dicat aliquis: Actiones sunt
suppositorum. Anima rationalis non est suppositum. E. E.
jus nullæ operationes. Verum id quidem est, quòd suppositum,
 $\&$ hic anima rationalis principium quod operationum virtu-
tis esse non potest, sic enim totus homo anima $\&$ corpore
constans excludetur, quod non est statuendum: bene tamen
principium quo statuitur. (secundum virtutem) id est, tan-
quam ad regulam & normam virtutis: itaq; non suf-
ficit bona agere, sed oportet bene. Proinde Cambyses,
secundus Persarum Monarcha, qui pellem iniusto iudici de-
trahi, $\&$ tribunali superindui curavit (quoniam se-
vera erat pœna) iustus $\&$ felix minimè est censendus,
cum vitijs alioquin innumeris, ut de eo historicorum natio-
fus perhibet, pollutus fuerit. Quemadmodum nec fe-
lix is statui meretur, qui ex defectu cibi & potus est
temperans, sed qui ex virtutis præscripto ijs utitur.
(optimam $\&$ perfectissimam) quæ quidem voces hoc nō
inferunt, quòd virtus sic formaliter & abstractè con-
sideretur; quatenus videlicet una virtus ad aliam com-
parata, eam supereret. E. G. Justitia fortitudinem: Ve-
rū ratione subjecti, cui inest virtus, prout actio
virtutis in homine sit studio & labore perfectè & cō-
pletè

pletè acquisita. (*In vitâ perfectâ*) quò duplex pertinet
perfectio, etatû & diuturnitatis temporis: hâc ratione pu-
eris & fatuî Summum bonum denegatur: illis, quia
per etatem de præceptis moralibus recte iudicare, atq;
secundum eadem vitam instituere non dum nove-
runt, usu rerum agendarum & experientiâ destituti-
bis, quia non melius, quam pueri, virtutem aestimare
sciunt. *Iuvenes autem, ut Aristoteles l. 1. c. 3. Ethic.* do-
cet, duorum sunt generum: alij ratione etatis & annorum,
alij intellectus & morum, qui, quanquam etatis sint satis pro-
vectæ, intellectu tamen & moribus iuvenum sunt simillimi;
imò iuvenibus & pueris deteriores; quia affectibus suis nimi-
ùm indulgent, ijsdemq; resistere vel nolunt, vel non noverunt.
Tales hoc in negotio pueris recte annumerantur. Quem-
admodum è contrario, iuvenes quandoq; ingenio & moribus
senum non dissimiles reperiuntur: qui proinde beatitudinis ex-
pertes haud sunt statuendi. Tandem continuitas tem-
poris constans & continuatum virtutum exercitium,
& quidem ad ultimum vitæ terminum requirit; quia
non una actio ad beatam vitam, sicut nec una hirundo
ad ver faciendum, sufficit. Quæ quidem continuitas
sine sui interruptione minimè est speranda; bene namq;
agit, si sine sui contrarij intermixtione ea persistat.

X. Supposito, quod sit aliquod Summum bo-
num, ejusq; essentiam in operatione virtutis consi-
stere leviter affirmato, explicataq; definitione; restat, *in Somniadionis*
ut aliorum opiniones sententiasq; diversum ab his quæ *Ad Utrumq; finem*
haec tenus sunt dicta, statuentium, paucis evolvam; *Ubi qd' tunc f*
quò de Sum. Bon: vera sententia melius adhuc intelliga *sumnum boni*
tur & confirmetur.

XI. Neq; tamen opera pretium, nec mei nunc
est instituti, omnium omnino veterum recentiorūq;

diversas de hâc materiâ opinione recensere; quod quam difficile sit, brevibus quibusdâ thesibus persequi, cuivis de hâc re vel mediocriter informato, facile est intellectu. Namq; *divus August*: lib. 19. c. 1. de ci-vitate Dei; *testis est Varronem in lib. de philosophiâ*, du-centa octoginta oœto diversa dogmata de hâc materiâ excogitasse: Et Cic. lib. 4. *Tuscul.* quest. de nullâ quæstione maiorem esse inter summos viros dissensionem, quâm de eâs, in quâ queritur, quænam res sit hominis bonum.

XII. Quæ autem hujus doctrinæ apud authores maximè sunt obviæ, & mentes vel vulgi, vel peritorum perstringere posse, ac probabilitatis aliquid habere videntur, eas breviter percurrere & examinare placet: admonitu Cic. l. 5. *de finib.* dicentis, quasdam opiniones probabilitatis aliquid habere, quæ propterea examinanda: quasdam verò adeò absurdas & ridiculas esse, ut suâ sponte evanescant: tales itaq; non refutatione, sed castigatione potius & reprehensione opus habere; Suffragante etiam Arist. lib. 1. *Top.*

XIII. Duo sunt hominum genera, qui diversi modo de Summo bono iudicant, ut Arist. sæpe laudatus, initio Ethic. accuratè deducit. Alij enim rudes, indocti & imperiti sunt, qui ipsi πολοι, latinis vulgus dicuntur: Alij verò liberaliter educati & instituti, ideoq; elegantioribus prædicti moribus, qui χειρες επο της Χαριτος, quasi homines gratiosi nominantur.

XIV. Hæc duo diversa hominum genera non uno eodemq; modo de hac quæstione, in quo scilicet Summi boni sita sit essentia, iudicant. Nam vulgus, & qui nibil supra vulgus sapiunt, in voluptatibus corporis summam felicitatem potissimum collocant. Quæ opinio

opinio, post Aristippum & Cyrenaicos, ab ipso Epicuro, suæ sectæ authore & antesignano introducta perhibetur, ut ut à nonnullis speciosè satis excusatetur. Cui opinioni perversæ inter alia affectio & requisitum Sum. bon. repugnat, quo δικαιον, proprium ac domesticum ejus, qui illud possidet, esse statuitur. Voluptas autem corporis homini cum bestiis est communis; Possessorem suum penitus corruptit, cum homines capiantur eā ut hamo pisces: Sum. bon. possessorem maximè conservat. De quā voluptate Cic. in Catone majore loquitur eleganter: Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus à natura datam; cuius voluptatis avidæ libidines temerè & effrancatè ad potiundum incitarentur. Et post pauca, Quocirca nihil tam detestabile, tamq; pestiferum, quam voluptatem corporis, siquidem ea cum major esset atq; longior, omne animi lumen extingueret, hæc ille. Voluptas quoq; animi, ejus scil. tranquillitas & rectè factorum conscientia, Summiboni essentiam non constituit, cum ejus immensum consequens sit & fructus, ceu signum perfectæ operationis, quatenus ab homine in hac imbecilitate præstari potest.

XV. Alij in divitijs & rerum affluentia summam felicitatem ponendam esse iudicant. Qui errant propterè, primùm, quia divitiæ & probis & improbis communes sunt; imò improbis interdum affluentius contingunt. Deinde homines superbos, petulantes, & adversus alios contumeliosos reddunt; illos nimis, qui impij sunt, & quidvis sibi licere putant; qui et si scelerata pessima committant, se tamen pecuniâ supplicia & poenas redimere atq; effugere posse sperant. Præterea divitiæ ut plurimum violentæ sunt; quippe

ut per

ut per fas & nefas, atq; iniuriâ nonnunquam aliorum sunt corrasæ; ita maximo cum periculo retinentur: Talis autem Summi boni non est natura. Tandem citò amitti possunt, & propter usum expetuntur: Sūmum verò bonum δυσαράγετόν ἐστι καὶ διάυρον αὐτῷ.

XVI. Reliqui autem hominum, qui cultioribus quidem sunt ingenijs & moribus, vel in honoribus, vel contemplationibus & ideâ platonicâ, vel etiam habitu virtutis, summam felicitatem ponunt.

XVII. In honore (qui, definiente Piccolomineo, est præmium virtutis, tributum viro probō à congruente ejus iudice, ut virtus ejus refulgeat, ceteriq; ejus exemplo ad virtutem excitentur) Summum bonum situm esse non potest. Honor autem cùm sit duplex, Signi vel meriti; in neutro Sum, bonum consistere potest. Non in honore signi: sic etenim in nostrâ non est potestate, sed à nutu & voluntate dependet honorantis, iuxta illud: *Honor non est honorati, sed honorantis*; estq; pro ratione hominum inconstantis voluntatis, contra naturam S. B. valde inconstans. Nec in honore meriti; ille namq; affectio quædam & proprietas est, quæ Sum. bonum sequitur, non ipsum Sum. bonum, expetiturq; propter virtutem. Qui autem alium verè honorare pos- sit pulchrè Cic. exponit, dum ait: *placet mihi He- ctor ille Nævianus, qui non tantum se laudari latatur, sed addit, à laudato viro: ea enim est incunda laus, quæ ab ijs proficiuntur, qui ipsi in virtute vixerunt.*

XVIII. In contemplationibus, ut & ideâ platonicâ Summam hominis felicitatem qui ponunt, omnem veritatem attingere non possunt. Namq; theoreticum illud bonum, quod ex contemplatione

pullu-

pullulat, ad hominem civiliter beandum non sufficit. Deinde obscurum est valde, quid Plato per ideam istas potissimum intellexerit. Certum est quidem, ut Pic. ol. grad. 9. c. 24. refert, ideam illam à Platone tripliciter accipi. 1. Pro eminentia, quomodo Deus idea omnium dicitur, eminentissimam ratione omnem bonitatem, pulchritudinem & perfectionem includens, quae prima origo est omnis boni. 2. Pro forma, quae mente hominis concipitur, & conceptus alias appellatur. 3. Pro similitudine, quae idea in genere nominatur, de omnibus rebus formata. Alij aliter Platonem interpretantur. In quoque autem significatu vocem Idea accipit Plato, atq. in eā Summum bonum collocat, veram sententiam de Summo bono morali expressisse vix statui potest, utut alias doctè philosophetur. Nam Summum bonum morale ejusmodi est bonum, quod ab homine per crebras actiones acquiri & comparari potest: At idea illa platonica hujusmodi non est. In primâ significatione vocem idea si quis acceperit, pro ipso scil. Deo, & tum demum hominem beatum indicaverit, cùns ad ejus separatam cognitionem pervenerit, ille de Summo bono theologicō, huc non spectante, non verò philosophico & morali locutus fuerit.. Libenthal h. l.

XIX. Nec in habitu solo virtutis Summum hominis bonum collocari potest: is enim non propter se expetitur, sed quatenus laudabiles pariet effectus, & exseret se per operationes virtutis: Summum autem bonum propter se expetitur, ut sæpe superius est inculcatum. Nec tamen habitus virtutis prorsus hoc loco reiicitur: verum solus ad hominis felicitatem constituendam sufficere non posse statuitur: habitus enim virtutis & actiones concurrere debet. Atq. sic Stoici & Peripatetici, harum opinionum diversarum

assertores, in speciem magis quam re ipsa dissentunt. Nam Stoici non sentiant, habitus virtutum sine actionibus esse Summum bonum; Peripatetici verò nullas actiones hic agnos-

scunt, nisi ex virtute proficentes; Daniel Sinapius.

XIX. Summa XX. Summum bonum aliud est Theoreticum, quod ex veri contemplatione resultat: aliud Practicum, quod ex operatione virtutis moralis manat.

Theoreticum. XXI. Hec Summi boni divisio, ex objecto & fine ipsius continua philosophiae præcipue ortum dicit, *Eius enim duplex obiectum; judicium videlicet veri, philosophiae theoreticae, & actio honesta practica: ut & finis ejusdem ultimus, non quidem simpliciter & absolutè, qui est gloria Dei; sed in suognere, qui Sum. presentis vita bonum, perfectio nempe hominis accidentalis, in cognitione veri & actione honestâ consistens, hanc Summi boni divisionem suppeditat.* Licet autem utrumq; species de definitione S. boni participet, non tametsi utrumq; res qualiter, sed altera Summi scilicet boni practici primariò huc quadrat.

XXII. Summo Bono morali opponitur Summum malum moralē, quod ex natura Summi boni, hactenus declarata, facile cognosci potest, (contariorum enim contraria sunt definitiones, &c.) & describi, operatio animæ rationalis secundum yitium pessimum & perfectissimum in vita extreme malā.

Tantum de iucundissimā pariter ac utilissimā hāc materia differuisse sufficiat. Deus T. Op. Max. à quo omne bonum & ipsa est bonitas, nos in bono semper conservet, atq; ab omni malo clementer protegat; ipsi sit laus in sempiterna secula!

Ad

Eruditione bonisq; moribus præstantissimum Candidatum,
DN. JOHANNEM PALMIUM, pro Gradu

Magisterij egregiè disputantem, amicum dilectum:

Pondere ut haud premitur, sed sursum PALMA resurgit,

Hinc sibi victores digna Bga Bæa petunt:

Sic tua, Palmi virtus exercita crevit in altum,

Hoc meliora dabit, quo graviora capit.

L. Maj:

ENEVALDUS SVEN. Q. G. A.
ss., Th., D. & Prof.